

Empedocles

CARMEN LATINUM

PRAEMIO CANCELLARI DONATUM
ET
IN THEATRO SHELDONIANO RECITATUM
PRID KAL JUL MDCCCXCVII

AUCTORE
ARNOLDO SANDWITH WARD
E
COLLEGIO BALLIOLENSI

“θεὸς ἀμβροτος, οὐκέτι θνητός”

OXONII
B. H. BLACKWELL
MDCCCXCVII
T.

ARGUMENTUM.

CIVES Agrigentinos, dum festos agunt dies, sic adloquitur Empedocles:—

1—36. Dicit se vatem paene divinum hominibus laborantibus et scelera male luentibus Pietatis nuntium adesse, nova et prius indicta docturum.

37—66. Exponit miserum statum generis humani,

67—90. et causas refert cur docere homines possit; narrat deum se fuisse olim et in exilium propter scelus admissum caelo esse pulsum.

91—106. Qua lege di in exilium pellantur narrat.

107—160. Dicit se, iam propius accedentem terrae, ad limen morari fato esse coactum ideo, ut omnem videret humanum statum: in eo vidisse se magnam Geniorum pugnam super hominum corpore, cum hi Rixae duci, illi Amori parentes manus inter se consererent.

162—174. Tum demum tetigisse se terram et omnium animalium vitae ordine suscepisse partes, postremo humanas.

175—226. Hactenus et ceterarum animarum consimilem fuisse vitam; omnes enim homines deos esse olim ob scelus admissum caelo pulsos; at ceteris novas in humana vita conceptas maculas redivitum in caelum tardare, et novo cursu novum scelus piandum esse.

227—239. Sibi contra soli totam sine labe fuisse vitam; quam ob rem iam rursus in astra se vocari.

EMPEDOCLES.

NUNC agite atque adhibete animum veram ad rationem
quam de naturae vita iam pandere conor
vobis, qui praeupta tenetis saxa Acragantis,
qui me inmortalem, iam non mortalibu' fretum
sensibus, immensa comitantes undique turba
concelebratis iter, numerosaque membra movetis,
utcunque ingrediens urbes et templa deorum,
ipse meos sanctos redimitus fronde capillos,
currum divus agens, curru per cuncta viarum
vectus largifico conspergo munere terras, 10
divina complens mortalia corda salute.
solus enim pote sum cura cuppedinis acri
pectora purgare, et simul atras relligiones
erueri ex animo, et mortis sedare timorem,
undique veridicis illustrans omnia verbis.
curritur huc illuc, dubioque errore vagantes
nunc votis superos, lata nunc clade bidentum
impia gens hominum vexat ; quin saepe meantes
occupat in triviis terror, subito ad simulacra
qui cogit sterni, cupideque adfigere labra 20

dextris, pectoribusque preces spirarier imis.
 frustra ; nam cassae voces, cassa ipsa animantum
 mors consanguineo foede molita lacerto,
 cassaque de genere hoc placamina cuncta deorum,
 ni pura castaque fruatur vita hominum gens.
 huc agite o homines, huc ad me vertite gressus ;
 iam canere incipiam, iam iam divina reperta
 vociferabor, et instituam praetexere dictis
 non ante exaudita viris, non ante Camenis
 docta novem ; tanto cogit regina coactu 30
 me mea, qua non est maius, non sanctius ullum
 numen, non mage quoui sit nos parere necesse.
 en Pietatis ego adveniens praenuntius ante
 in terris moror, et viso mortalia saecula
 mecum multa ferens veteris purgamina vitae
 et male factorum poenas scelerumque luellas.
 in promptu manifesta mihi, vobis in opertost
 naturae ratio, caecast anteacta priorque
 aetas, caeca fugast faciles ceu fumus in auras.
 scit quod in occursust, jactat se cuncta tenere 40
 mens hominum, quamvis in cunctas undique partes
 saepe vacillat, ut alternis est percita plagis,
 proxima quaeque videns, et ab illis cetera fingens.
 o oculos hominum clausos ! o lumina caeca !
 o similem tenebris lucem lucique tenebras !
 nonne videtis, ut exsolvi nodis nequeatur

undique circum pressus homunculus inque peditus,
 hinc quam relligio teneat, formidinis atrae
 hinc quanto violenta virum vis vulnere vexet,
 hinc et avaritia hinc cuppedinis immoderatae 50
 impetus, hinc ingens stet cetera turba malorum ?
 undique at oppressus, vano undique Marte repugnat
 languescens : inde inde magis magis inretitur,
 atque minutatim vires et vita relinquont.

Ergo quod iam nulla subest mortalibus aegris
 spes, atque omnino solatia nulla videntur,
 ergo, ne quis forte ausit sua fata gravatus
 'o utinam, clamare, pepercisset sibi partu
 'nixa meo mater ; tanti tu, vita, fuisti ?'
 ne quis et omnino naturae inferre querellas, 60
 en Pietatis ego adveniens praenuntius ante
 in terris moror, et viso mortalia saecula,
 arte nova mulcere omnique aegrore levare
 mortales animos, et sic praeclara reperta
 callidus exspirare meo de pectore dio,
 vel Jove certior ipso et suaviloquentior Orpheo.
 namque mihi soli vitae penetralia caeca
 clarescunt, solusque alid ex alio ordine possum
 reddere de vitae spatiis animaeque meatu,
 quippe ego qui solus memori res mente repostas 70
 temporis anteacti teneo vitaeque prioris,

ex quo prima dies lapsum me excepit Olympo
 deiectumque deum et divini numinis orbum.
 namque, fatebor enim, (vos lucrum discite vestrum,
 hac iter est lucri) consortem me quoque divi
 nectaris ambrosiaeque olim, tectisque sub isdem
 secum habuere parem; pariter securus agebam
 otia, nec vestri poterant me tangere casus,
 nec quicquam omnino turbabat foedera vitae,
 ni—scelus, hinc scitote, potest scelus esse deorum— 80
 ipse fefellissem Stygiae commissa fidei
 et male magnarum violabile numen aquarum.
 continuo sentit facinus natura tremitique;
 concussae rerum sedes, concordia mundi
 moenia dissiluire, it terrae murmur, it undae,
 magnus et in magnum dispergitur horror Olympum.
 ille simul tantum sensit se condere monstrum,
 flammarum fiunt vomitus, vastique tremores,
 ingentique sono perterricre poque fragore
 deferor, immensumque ruo eructatus in altum. 90

Namque fit aeterni lex inmutata necesis,
 quem sua culpa deum facit indignetur Olympus,
 exilio mutare domos, atque infinitum
 omne peragrarere et vitae simul innumerales
 vivendo didicisse vias, simul intereundo.
 nec prior errandi finis, quam millia sese

brumarum cum triginta volvere per orbes,
 aestatum totidem, totidem gravium autumnorum.
 inde loci, sceleris si nullum inoleverit augmen,
 si pure casteque agitaverit ordine vitam, 100
 piscis uti latices, ales peragraverit auras,
 at mox arbor agris consederit et fera silvis,
 postremo iam factus homo—is nam proximus est dis—
 extremam prae se mortem atque extrema videbit
 supplicia, et tanto post in sua numina rursus
 ibit et inmemori rursus revolabit Olympo.

Hac igitur lege, hac olim ratione cadebam,
 linquens caelicolum campos et limina Olympi
 prataque, purpureoque fluentes nectare rivos.
 prima per aetherias auras fuga et alsia caeli 110
 templa, iter inmensum: precibus scandentibus anni,
 anni fulminibus labor ille cadentibus; annus
 quantula poenai mihi pars fuit illa futurae!
 inde nova excipiunt loca et inlaudata patescunt
 limina labenti, et me non mea ventilat aura;
 ventum erat ad terram; sed necdum adpellier ei,
 miscerive datum aut terrestrem sumere vitam,
 sed prius ante oras atque ipsa ad limina pendens
 —fatum erat—omnia perlustravi atque omnia vidi,
 quot rerum facies, qui vitae cuique labor sit, 120

quae requies, mala quot fiant animantibus aegris ;
 scilicet ut notae magis esset terribilis vis
 poenae, suppliciumque gravesceret ante videndo.
 tum demum lacrimas nequii compescere, et omnis
 in desiderio et cuppedine tabescebam ;
 tam deformis erat locus et tam cuncta regebant
 Rixa insana tuens et raptò laeta Celaeno.

Hic Orcum vidi et Tabem, saevosque Minarum
 Morborumque greges, totumque per aera passim
 cetera de genere hoc mala mille volandia vidi 130
 ignarumque adstare caput supra et subita vi
 desuper irruere et caecos temere ingerere ictus,
 mox temptare fugas, mox in sua terga reverti,
 mox quasi protelo tuditantibu' fervere plagis ;
 ast hominis misero vexantur viscera morsu,
 fessaque iam multo membra interstincta dolore
 debilitantur, et omnino iam victa fatiscunt ;
 tum totum corpus membratim dilaniarant,
 totam animam dederant avidis depascier auris
 Rixae miles atrox, Discordia sanguine ridens, 140
 Poenaque volgivaga Errorisque nigerrima proles,
 Pestilitasque Luesque et Luxuries et Egestas :
 ni contra auxilium veniens animantibus aegris
 dissimilis multoque minor chorus isset in armis,
 aeriasque ciens pugnas en ipse coruscis

II

clarus Amor pinnis sua collegisset in hostem
 agmina, veridicas Voces Veniamque benignam
 purificamque Auram atque tuentem seria Pacem.
 quis mihi Patrocli memorat certamina caesi
 et tantam belli super uno corpore molem ? 150
 iam tum cernere erat viventes mille Patroclos,
 viventes, sed humi stratos, sed debilitatos ;
 desuper et quoties hostis ruit impete magno
 post toties vindex cito subvenit et loca sanat
 tacta modis miris atque in nova volnera durat.
 huic tamen haud unquam creperi victoria belli
 concessast fato : nam serius ocius omnes
 vis infensa domat ; iam pulso vindice, curru
 laeta volat, vinctamque trahit super aequora praedam.
 huc humana redit, quam vidi ego, denique vita. 160

Iamque hebetes oculi, et late spectacula cedunt
 terrarum, et mundi magna evanescit imago,
 cum feror invitoque datur pede tangere terram
 membraque terrena et mortalia moenera sumo.
 quid duras repetisse vices totque ordine cursus
 meque tuum genitabile iter, natura, sequentem
 profuerit, longamque viam remeare canendo ?
 non si Mercurio versutiloquentior ipso
 cantarem, non si me Pan minor et minor Orpheus,
 tot tractare vices, tantosque iterare labores 170

carmine, musaeoque erat interfundere melle.
 sit fecisse satis : ne plura rogare : peregi,
 nascor homo : sine fraude humanas vertor in auras,
 incolumemque adeo accipiunt mortalia vitam.

Et nunc magna meae decurrere saecula poenae
 numine naturae properabant legiferai,
 cum iam nudus humi mortali e matre profusus
 sternerer, extremamque viam, modo crimen abesset,
 ingrederer vitae atque extrema piacula culpae. 180
 purum pectus erat, puro mihi lumine totum
 clarescebat iter, totum et remeare juvabat
 mente, recursabatque relictis gloria caeli.
 nec mihi, mira loquor, soli data gaudia : sensi
 communem stimulum, et mecum simul orta moveri
 cetera, quaeque mei similis vaga venerat illuc
 peccatrix anima et peccati intenta luellis.
 namque, fatebor enim, (vos lucrum discite vestrum,
 hac iter est lucris) non hoc mihi contigit uni;
 et vos una dies lapsos exceptit Olympo 190
 deiectosque deos, divini numinis orbos.
 di fuimus quondam, et rursum dis esse licebit;
 omnibus hic olim vitae panditur ordo,
 omnibus unum iter est, et, si meminisse fuisset,
 et vos exortus decuit cognoscere vestros.
 heu maiora latent discrimina fine sub ipsa,

et simul humanos artus anima insinuavit,
 continuo maculata novo marcescere tabo
 incipit; incedunt vitia et Lethaea veterni
 vincla premunt; fugiunt alta res mente repostae 200
 temporis anteacti, fugiunt praesagia caeli
 aurea, momento longi periere labores,
 et certi reditus et sidera prensa recedunt.
 at scelus integro fatumst purgarier aevo
 et revocare gradum longosque revisere tractus,
 et nova vivendo vitae delicta piandumst.

Ergo noenu potest finiri cursus, et astra
 noenu prius remeare datur, quam pura sub auras
 reddita membra refulgebunt in luce diei;
 sed velut in magno motus cum saepe fit amni, 210
 pronus ubi in praeceps ruit et cum murmure lato
 saxa boant, caecisque inmittitur unda cavernis,
 protinus, ut perhibent, ponto properare relicto
 visus et adverso contendere flumine piscis,
 quem pelagi taedet, cui fixum ascendere fontes,
 exortusque suos; at cum fremit obice flumen,
 hic labor, hic dolor est; en arduus instat ab undis,
 emicat albescens latus argentoque coruscat
 squama volans; eheu gravibus male creditur auris!
 reccidit, et quoties ingens it nisus in altum 220
 heu toties rapido revoratur gurgite piscis,

et frustra labor est, et inexistibile claustrum :
 non secu' mortales frustra nituntur et astra
 nequiquam spectant, dum adhuc stant labe pudenda
 membra, neque omnino patet ollis lex redeundi,
 et bene vivendo non vi expugnabile caelum.

Ergo a me primo fas discere quid sit agendum,
 quam pure casteque agitanda sit ordine vita,
 qui quoniam potui sine labe dies agere omnis,
 hac arte anteactae vitae memor, hacque futurae 230
 praescius, in terris moror et mortalibu' saeculis
 carmina sacra cano et fatum miserabile solvo.
 nam me inmortalem, iam non mortalibu' fretum
 sensibus, inmotae sedes tranquillaque caeli
 templa vocant ; laeto comitem clamore receptat
 caelestis chorus, it per sidera sancta voluptas,
 it sonus et magno cum murmure concinit aether.
 iam lucere polum, longaue albescere flamma,
 iam video ; vocat hora ; iuvat sic reddier astris.

NOTES.

- 19. Cic. Verr. II. iv. 94.
- 23. Empedocles 412 κ.τ.λ.
- 72. *Olympo*. Empedocles' cosmology admits of no under-world. Home of Gods is therefore identical with Abode of Blest. This region best denoted by post Ilian 'Olympus.'
- 74. Emp. 360 ἐξερέοντες δπη πρὸς κέρδος ἀταρπός.
- 91. *Necessis* : vide Lucr. vi. 815. Munro.
- 127. *Rixa* and *Amor* I have used as equivalent to Empedocles' Νεῖκος and Φιλότης. Emp. 61 κ.τ.λ.
- 130—149. Cp. Emp. 393—397, the vision of the Genii.